

Quantum boni sit in amicitia

[22] ¹Talis igitur inter viros, amicitia tantas opportunitates habet quantas vix queo dicere. ²Principio qui potest esse « vita vitalis », ut ait Ennius, quae non in amici mutua benevolentia conquiescit? ³Quid dulcius quam habere quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? ⁴Qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes quicum illis aequae ac tu ipse gauderet? ⁵Adversas vero ferre difficile esset, sine eo qui illas gravius etiam quam tu ferret. ⁶Denique ceterae res quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus ferre singulis: divitiae, ut utare, opes, ut colare, honores, ut laudare, voluptates, ut gaudeas, valetudo, ut dolore careas et muneribus fungere corporis. ⁷Amicitia res plurimas continet: quoquo te vertaris, praesto est, nullo loco excluditur, numquam intempestiva, numquam molesta est. ⁸Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, locis pluribus utimur quam amicitia. ⁹Neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor — qualis eorum qui pauci nominantur fuit. ¹⁰Nam et secundas res splendidiorem facit amicitia; et adversas, partiens communicansque, leviores.

[23] ¹Cumque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimium praestat omnibus — quod bonam spem praelucet in posterum nec debilitari animos aut cadere patitur. ²Verum enim amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. ³Quocirca et absentes adsunt et egentibus abundant et imbecilli valent et, quod difficilius dictum est, mortui vivunt; tantus eos honor, memoria, desiderium prosequitur amicorum. ⁴Ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. ⁵Quod si eximeris ex rerum naturam benevolentiae conjunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit, ne agrum quidem cultus permanebit. ⁶Id si minus intellegitur — quanta vis amicitiae concordiaeque sit — ex dissensionibus atque ex discordiis percipi potest. ⁷Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis et discidiis funditus possit everti? ⁸Ex quo quantum boni sit in amicitia iudicari potest.